

Zur Kritik und Erklärung.

Miscella critica in tragicos Graecos.

Aeschyl. Agam. v. 129. Difficultatem, quae in vulgato οἶον aut οἶον inest, sustuleris si genitivo restituto scripseris:

οἶων μὴ τις ἄγα θεόθεν κνεφά-
ση πρότυπον στόμιον μέγα Τροίας
στρατωθέν.

Pendet autem genitivus ex ἄγα vocabulo et refertur ad proxime exposita (πάντα δὲ πύργων κτήνη — Μοῖρα λαπάξει) ut sententia sit: „*qualium facinorum caussa cavendum est ne*

*) Init. rubr. — **) Nominativus certus, passivum non ita. —
) Inc. p. 82, 6 ita: Καὶ sed quid hoc? — *) Cod. ὑπόπ-
τευχε.

qua deorum invidia obscuret eximie procosum illud lupatum Troiam frenans.“ Aplissimam autem h. l. eam esse sententiam, ex eo patet, quod sollicitudo illa, ne a Troiae expugnatione divina quaedam invidia Graecorum exercitus proficiscatur, cum saepius in hac fabula tum gravissime a Clytaemnestra inculcatur vv. 329—333. Ceterum genitivi in verbis οἶων ἄγα — si opus est hoc monere — plane eadem est ratio ac v. 69 in his: ἀπίρων ἱερῶν ὄργας, quorum significationem ante Humboldtium, Blomfieldium et Wellauerum interpretum nullus invenerat.

Ibid. v. 211—216. Hermannii optima emendationi explicationique in una tamen re adminiculum accedere et posse videtur et debere. Nam non iniuria Wellauerus in illo particulae τόθεν usu offendit. Quam offensionem lenissima ratione removeris, ubi sic scripseris:

ἐπεὶ δ' ἀνάγκας ἔδν λέπαδνον,
φρονὸς πνέων δυσσεβῆ τροπαίαν
ἄναγνον, ἀνίερον, τόθ' ἐν
τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγγω,

„*tum mutato consilio decrevit suscipere unum omnium audacissimum.*“ Similiter numerale ἐν posuit Euripides Herc. f. v. 196 ἐν μὲν τὸ λῶστον, μυρίους οἰστοὺς ἀφείς ἄλλοις τὸ σῶμα φέεται.

Aesch. Choeph. vv. 409 sqq. Blomf. sic scribendos existimo:

τότ' ἄν δ' αὖτ' ἐπ' ἀλκῆς θρασεῖα,
φρῆν ἄρ' ἀπέστασεν ἄχος,
πρὸς τὸ φανεῖσθαι μοι καλῶς.

Primi versus correctiones a Blomfieldio sunt profectae, sed φρῆν ἄρ' secundo versu ego addidi, poscente et numerorum et grammaticae structurae ratione. Eodemque ducit sententiarum conformitas, in quibus de industria variatur in animi vocabulo: πέπαλται κέαρ — — τότε μὲν σπλάγχνα κελαινοῦται — — τότ' ἄν δὲ φρῆν ἀπέστ. ἄχος. Praeterea mira scholiastae annotatio: „πρὸς τὸ φανεῖσθαι πρὸς τὸ κα-

λά μοι ἐννοεῖν,“ vide an inde profecta sit, quod ante illa πρὸς τὸ φαν. homo invenerat vocabulum ad cogitandi facultatem referendum, ex quo posset illud suum ἐννοεῖν repeterc. "Αὐτὸ" autem illud, quod ante ἀπέστασεν inserui, facile senties satis eleganter significare, sententiam hanc (φρῆν ἀπέστ. ἄχ.) consecrariam esse ex proximis ἐπ' ἀλλήης φρασεῖα. Dicuntur igitur haec: „*Ac tum quidem despero* (v. 406) — — *tum vero rursus auxilio confidens animus abiicere sane solet aegritudinem, propterea quod sperat opportune appropinquatum esse, sc. auxilium*“; nam φανεῖσθαι ad ἀλλήν referendum est.

Eiusd. Suppl. 881 (857 Well.):

ὁ μέγας

Νεῖλος ὑβρίζοντά σ' ἀποτρέψει-
εν ἄϊστον ὑβριν.

Haec si construxeris: Νεῖλος ἀποτρέψειεν ἄϊστόν σε, ὑβρίζοντα ὑβριν, etsi ὑβριν sine adminiculo quodam cum ὑβρίζειν videtur iungi posse (cf. Lobeck. Paralipom. II. p. 502), tamen intolerabilis ista est verborum collocatio propter ὑβριν non solum ab ὑβρίζοντα separatum, sed etiam impedita post adiectivum ἄϊστον et sine ulla vi in extremo sententiae loco positum. Et collocationis asperitas tolletur et ea, qua in tali collocatione opus est; addetur vis, si adiectivo quod ad ὑβριν possit referri reposito, numeris etiam levi correctione iam ab aliis inventa sublevatis scripseris:

Νεῖλος ὑβρίζοντ' ἀποτρέψει-
έν σ' ἄπαστον ὑβριν.

Aplissime ἄπαστος dicitur Aegyptiorum ἑβρις, quae sane non cessavit virgines persequi, ut ex ipsis illis cum praecone Aegypto sermonibus conspicuum est. Ceterum cf. v. 818—23 (797 sqq. Well.).

Sophocl. *Electr.* v. 1281 sqq. Br. vulgata haec sunt: ὦ φίλαι, ἔκλυον ἂν ἐγὼ οὐδ' ἂν ἡλπισ' αὐδάν. ἔσχον ὄργάν ἄναυδον, οὐδὲ σὺν βοᾷ κλύουσα τάλαινα. Quorum emendationem desperavit Wunderus, periclitatus ita est Hermannus

apud Wunderum p. 130, ut a tradita librorum scriptura mire discederet. Sed ad inveniendam emendationem auxilio esse puto scholia, quibus haec affertur interpretatio: ὦ φίλοι, οἷαν ἤκουσα φήμην περὶ τοῦ ἀδελφοῦ ἀπροσδόκητον, ἐφ' ἧ οὔτε σιωπῆσαι ἂν ἠδυνάμην, οὔτε ἀκούσασα βοῆσαι. Ex his primum patet, reperisse scholiastam in exemplari suo ante ἔσχον pronomen relativum, quod suo ἐφ' ἧ illo explicavit. Nam sua sponte eum interposuisse ἐφ' ἧ, quo asyndeti asperitatem removeret, credibile nemini erit. Itaque usurpando scholiastae testimonio eodem ducimur, quo ratiocinando Hermannus (in sua edit.) pervenerat, ut ἄς ante ἔσχον excidisse suspicemur. Par momentum cernitur in scholiastae illo οἷαν, quod si in suo fabulae exemplari non invenisset, apparet interpretem Graecum nec ultro ascivisse nec relativo ἂν substituuisse nec omnino in exclamationem, quam inesse verbis statuit, incidisse. Atque ἂν etiam non aberat ab illo exemplari; nam quod interpres posuit ἀπροσδόκητον, eo apertum est contineri verba: ἂν ἐγὼ οὐδ' ἂν ἤλπισ'. Itaque non dubitandum est, quin in illo quo scholii auctor usus exemplari scriptum fuerit: οἷαν ἔκλυον, ἂν ἐγὼ οὐδ' ἂν ἤλπισ' αὐδάν! Quae sententia tam egregia est, ut a Sophocle profectam dicamus. Nam hanc conicio fuisse pristinam verborum speciem:

ὦ φίλ', οἷαν ἔκλυον, ἂν
 ἐγὼ οὐδ' ἂν ἤλπισ' αὐδάν!
 ἄς ἔσχον ὄργαν
 ἄναυδος οὐδὲ σὺν βοῇ κλύουσα,
 τάλαινα.

„O care, inquit Electra, *qualem audivi vocem, quam speravissen nunquam! Quam indignata sum quod muta nec clamore excepi.*“ Spectans enim ad vv. 1236. 1238, ubi Orestes modo agnitus eam laetius exsultare, μή τις ἐνδοθεν κλύη, vetuerat, indigne se ferre dicit, quod fratris vocem insperato auditam non maximis cum clamoribus potuerit excipere. Ἄς attractione, quam dicunt, cum ὄργαν iunctum est, quum pr.

dictum esse deberet: ἄν, pendens ex κλύουσα. Pro ἄνανδον scripsi ἄνανδος, sed fortasse recte Ellendtius in Lex. Soph. I p. 146 s. fin.: „ἄνανδον adverbiascit, pro ἀνανύδως dictum.“ Ceterum vide scholiasta, etsi non plane expenderit verborum sententiam, quam prope tamen ad veram interpretationem accesserit.

Soph. Oed. R. vv. 193 sqq. sic scribendos coniiicio :

τὸν ᾧ πυρφόρων
ἀστραπῶν κράτη
νέμων πάτερ, ὑπὸ σῶ φθίσον κεραυνῶ.

Delevi igitur ᾧ Ζεῦ ante πάτερ. His respondent vv. 203 sqq. sic restituendi :

πλασθῆναι φλέγοντ'
ἀγλαῶπι σὺν (vel τᾷ)
πέυχα ἔπι τὸν ἀπότιμον ἐν θεοῖς θεόν.

Πλασθῆναι satis defenditur Eurip. Troad. 203. Hec. 890. Andr. 25. Rhés. 347. 920.

Eurip. Iphig. Aul. 147 sqq. post Δαναῶν πρὸς ναῦς in libris haec sequuntur: ΠΡ. ἔσται τάδε. ΑΓ. κληῖθρων δ' ἐξόρμα. ἦν γάρ νιν πομπαῖς ἀντήσης, πάλιν ἐξορμάσεις τοὺς χαλινούς, ἐπὶ Κνωκλώπων ἰεῖς θυμέλας. Quorum prima ἔσται — ἐξόρμα, Hermannus recte intellexisse videtur non suo loco posita, sed post ἰεῖς θυμέλας collocanda esse. In ceteris autem Blomfieldii probata emendatione πάλιν ἐξόρμα, σεῖτε χαλινούς dedit. Denique impeditum illud ἦν νιν πομπαῖς ἀντήσης ita explicandum putavit, ut νιν ex πομπαῖς pendere diceret, quia id idem esset quod τοῖς πέμπουσί νιν. Sed tamen ipse dubitavit de νιν, et recte quidem, nam summa est constructionis duritia. Blomfieldii vero σεῖειν χαλινούς latinismus est Hermanni rationibus non satis defensus. Quare vide ne scribendum sit:

ἦν γὰρ πρὶν πομπαῖς ἀντήσης,
πάλιν ἐξόρμα κείσε χαλινούς,

„nam si prius, inquit (quam scilicet advenis) obviam factus

eris iis qui Iphigeniam adducent, retro verte illuc frena⁴, nempe unde venerunt.

Ibid. v. 368 Herm. Quum pro librorum ἐκπονοῦσ' ἔχοντες Canterus et Scaliger proposuissent ἐκπον. ἐκόντες, hoc Musgravius recte dixit neque vim neque venustatem habere. Sed vulgata scriptura optimam affert sententiam, modo interpunctionem correxeris sic:

μύριοι δέ τοι πεπόνθασ' αὐτὸ πρὸς τὰ πράγματα
ἐκπονοῦσ' ἔχοντες εἶτα δ' ἐξεχώρησαν κακῶς.

Et ἐκπονοῦσ' et ἔχοντες spectat ad τὰ πράγματα. Nam verba hoc significant: „cum contentione quaerunt opes; ubi autem nacti sunt, turpiter excidere rursus solent.“ Si in δέ illo offenderis, quamquam hoc vim etiam maiorem quamdam verbis addere videtur, scribere possis: εἶτ' αὖτ'.

Ibid. v. 969 sqq. quum Hermannus recte senserit salabras quas ad sententiarum tenorem vulgata scriptura ἡ Κλυταιμνήστρα δέ μοι κ. τ. λ. habet, atque εἰ pro ἡ ponendo commodiorem reddiderit orationem, non tamen id bene fecisse videtur, quod εἰ — ἐπέισθη cum insequenti ἔδωκα ἂν iunxit. Iungendum enim erat cum praecedentibus et totum sic cum distinguendum tum scribendum:

χρῆν δ' αὐτὸν αἰτεῖν τοῦμόν ὄνομ' ἐμοῦ πάρα,
θήραμα παιδός, εἰ Κλυταιμνήστρα γ' ἐμοί
μύλιστ' ἐπέισθη θυγατέρ' ἐκδοῦναι πόσει.
ἔδωκά τ' ἂν Ἑλλησιν, εἰ πρὸς Ἴλιον κ. τ. λ.

„oportebat eum a me quidem petere nomen meum ad filiam suam arcessendam, si eo quidem maxime ut mihi virgo nuptum daretur, permoveretur Clytaemnestra. Atque dedissen (sc. nomen) Graecis, si in hac re laboraret profectio in Ilium.“

Eurip. *Herc. Fur.* 269:

ὦ δεξιὰ χεῖρ, ὡς ποθεῖς λαβεῖν δόρον,
ἐν δ' ἀσθενεῖα τὸν πόθον διώλεσας.

τὸν πόθον e Plutarcho T. II. p. 793. b. et Par. E. receperunt, quum τὸν πότμον habeat Ald. Sed ne illud quidem sanam

sententiam affert et proximis etiam repugnat. Nam imbecillitas aetatis etsi ab agendo prohibet, non tamen impedit, quominus cupias agere. Qui autem cupit arma sumere (ποθεῖ λαβεῖν δόρυ), quomodo idem eodem tempore quo cupit potest cupiditatem amisisse? Credo interpretes speciosa subtilitate, quae in illo τὸν πόθον inesse videtur, decipi se passos esse. Quocirca suspicor antiquitus scriptum exstitisse aut τὸν πόρον aut τοῦμπεδον. Quorum hoc 'quidem quisque videt significare firmitatem, illud autem paullo exquisitius dictum est, non ipsum laborem significans sed laborandi h. e. pugnandi facultatem, positum fere pro τὸ πορεύειν. Notum autem est de pugna valere πόρος. Sic latet in dicto chori frequentata a tragicis poetis illa oppositio studii et actionis, quae alias ostenditur verbis et factis.

Ibid. v. 1075 sqq. apodosin deesse cum Hermanno et Matthia statuit Pflugkius. Negavit R. Klotzius praef. ad Pflugkii edit. p. XIX, apodosin a verbis πρὸς δὲ κακοῖς incipere dicens, quum δὲ saepius in apodosi ponatur. Nego item apodosin deesse, nec tamen a πρὸς δὲ incipere censeo, sed interpunctione sic facta:

τὸ μὲν φάος ἐκλιπεῖν ἐπὶ κακοῖσιν οὐ
φεύγω τάλας, ἀλλ' εἴ με κανεῖ πατέρ' ὄντα,
πρὸς δὲ κακοῖς κακὰ μήσεται κ. τ. λ.

Apodosis continetur in verbis φεύγω τάλας, ut constructio sit: τὸ φάος ἐκλιπεῖν οὐ φεύγω ἐπὶ κακοῖσιν, ἀλλ' εἴ με κανεῖ πατέρ' ὄντα „mortem non propter mala fugio, sed propterea quod me patrem occidet.“ Oppositionis vis ad οὐκ ἐπὶ κακοῖσιν in πατέρ' ὄντα maxime inest, εἰ autem estcaussal e, et variatur inter praepositionem ἐπὶ et conjunctionem εἰ.

Ibid. v. 1142. Ald. et cdd. habent: ἧ γὰρ συνήραξ' οἶκον ἧ βάκχευο' ἐμόν; Non immerito Pflugkius et in Heathii et in Hermanni correctione haesit, propterea quod neutra sententiam affert satis gravem. Neque male illud vidit, in verbo συνήραξ' latere videri Ἡρας nomen. Sed quam ipse fecit coniecturam: ἧ γὰρ σὺν Ἡρας οἰκτρὸς ἦν βακχεύμα-

σιν; eius valde impedita est et longe repetita sententia. Quare vide an scribendum sit:

ἢ γὰρ τιν' Ἑρας οἷστρον ἦν βακχεύσιμος;

„num furore a Iunone immisso quodam eram percitus?“ *Βακχεύσιμος* in Eurip. Bacch. 298 invenitur, saepius autem in hac fabula Herculis furor cum bacchatione quadam comparatur, velut v. 1119. 871. 879. 888. *Οἷστρος* vero statim post v. 1144 de Herculis furore positum est. Denique idem *Ἑρας ἀγών* v. 1189 et *Ἑρας τύχη* v. 1393 dicitur.

Ibid. v. 1216. libri habent tum ἰδ' εἰ σκότους, tum ἰδ' εἰ σκότος. Canterus correxit οὐδεις σκότος, quem ceteri plerique seculi sunt. Sed censeo ἰδού scribendum, relicua autem per interrogationem exhibenda esse:

ἰδού, σκότος γὰρ ᾧδ' ἔχει μέλαν νέφος,
ὅστις κακῶν σῶν συμφορὰν κρύψειεν ἄν;

Ἰδού est attentionem animi excitantis, ut saepe.

Euripidis Archelai fragm. I. Musgravius et Matthias statuerunt hos esse versus:

Ἀἴγυπτος, ὡς ὁ πλεῖστος ἔσπαρται λόγος,
ξὺν παισὶ πενήκοντα ναυτίλῳ πλάτῃ
Ἄργος κατασχών,

quos quum Aristoph. Ran. 1206 ut Euripideos profert, scholiasta sane, *Ἀρχελαίου*, dicit, *αὕτη ἐστὶν ἡ ἀρχή*. Sed idem addit: ὡς τινες ψευδῶς· οὐ γὰρ φέρεται νῦν *Εὐριπίδου* λόγος οὐδεις τοιοῦτος· οὐ γὰρ ἐστὶ, φησὶν *Ἀρίσταρχος*, τοῦ *Ἀρχελαίου*, εἰ μὴ αὐτὸς μετέθηκεν ὕστερον. Haec si Matth. „se non intelligere“ dicit, nihil obscuritatis inesse verbis video, quae Aristarchum perspicue docent talem Archelai locum non novisse, nisi forte ille — dicit autem Euripidem — postea correxerit. Hanc vero Aristarchi auctoritatem per se iam satis valentem aliae etiam rationes commonent sequendam esse. Nam primum Euripidem vitae eius scriptores prope omnes memorant scripsisse Archelaum suam, quum in Macedonia apud regem Archelaum degeret: *ἐκεῖθεν δὲ*, ut est apud Vitae Scriptor. Elmsleian. Bacchis additum p. 173, *εἰς Μα-*

κεδονίαν περί Ἀρχέλαον γενόμενος διέτριψε καὶ χαριζόμενος αὐτῇ δράμα δμωνύμως ἔγραψε. Quae quum Euripidis fuisse extrema vitae tempora constet, nec diu ille apud Archelaum commoratus sit, Ranas autem Aristophanes statim post Euripidis mortem commiserit, non probabile est Archelaum fabulam tum iam fuisse Athenas delatam et potuisse Aristophanem ex ea sumere quae irrideret. Neque enim ex Euripidis Bacchis item in Macedonia editis Aristophanes quicquam in Ranas transtulit, quod, si fabulam novisset, propter Bacchi in Ranas personam certissime fecisset. Ergo non ex Archelao, sed ex alio Euripidis dramate fragmentum illud sit petitum necesse est. Accedit altera ratio. Nam esse illud dramatis alicuius initium, ex Aristophane ipso discitur. Iam vero quod Musgr. et Matlh. habent Archelai Fragm. II.:

Δανάος, ὁ πενήκοντα θυγατέρων πατήρ,
 Νείλου λιπὼν κάλλιστον ἐκ γαίας ὕδωρ,
 κτλ.

tam manifesto est Euripidei prologi initium, ut aut haec aut illa, quae apud Aristophanem sunt, non possint esse ex Archelao petita. Atqui haec esse ex Archelao, certissime et a nullis est contestatum, de illis tradit unus Aristophanis scholiasta et satis quidem dubitanter, adiuncta etiam Aristarchi dissensione. Ergo illud Archelao fragmentum falso ascriptum est. Nec ex fabulae retractatione aliqua repetendum esse videtur duplex initium. Nam retractatam esse fabulam vel propter tempora negandum est, neque Aristarchus serio illa posuit: εἰ μὴ αὐτὸς μετέθηκεν ὕστερον, ut ipse verborum color prodit. — Sed error unde natus sit, ex ipsa utriusque fragmenti comparatione intelligitur; nam summa est sententiae, quaedam etiam verborum similitudo, ut eorum origines esse inter se confusas non mirandum videatur.

F. Th. Schoene.